



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi**

**Johannes <Climacus>**

**Coloniae, 1583**

**VD16 J 520**

Vita presbyteri villæ Mardandos. Capvt. XXVII.

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

ipsis ignibus vidit Nestorium, Eutychem, Apollinarem, Dioscorum, Seuerum, Arium, Origenem, & alios quosdam. Dixitque illi is, qui apparuit: Locus iste præparatus est hereticis, & blasphemantibus, & his, qui illorum dogmata sequuntur. Si ergo placet tibi locus, persiste in tuo dogmate. Si autem supplicium istud experiri non vis, accede ad sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, quam te senex docet. Dico enim tibi, quia  
 † omnes virtutes homo operetur, nec recte credat, in hoc loco cruciabitur. Atque in hoc verbo nit frater in semetipsū, & redeunti seni narrat omnia, quæ videbat, accessitque ad communionem sanctæ Catholicæ Ecclesiæ. Remansit autem cum sene, impletisque quatuor cum illo annis, dormiuit in pace.

1 *Vides, quod sancti viri, qui Dei mandata custodierunt, meritum habent apud Deum.*

2 *Nota quod heretici omnes sunt extra gremium sanctæ Catholicæ, atque Apostolicæ Ecclesiæ.*

3 *Mira sententia, & vera, non esse aliã salutis spem, nisi recte sentiamus, & credamus, sanctam Mariam Dei genitricem esse.*

4 *Sicut non sufficit sola fides ad salutem absque bonis operibus, sic nec omnia bona opera sine recta fide.*

*Vita presbyteri villa Mardandos.*

C A P V T. XXVII.

**D**ECEM fere millibus passuum ab vrbe Cælicæ Aegina, villa quædã est, nomine Mardandos, in qua templum est sancti Iohannis Baptistæ. In hac senex quidam presbyter sedebat summi apud Deum meriti, magnarumque virtutum. Quadam verò die villæ ipsius habitatores accesserunt ad Episcopum accusantes senem, &

dicentes: Tolle à nobis senem hunc, nam molestus nobis est. Dicit eis Episcopus: Quid vobis facit. Dicunt ei: Accedit missam celebrare die Dominico, nunc hora tertia, nunc autem hora nona, ut sibi visum fuerit, neque seruat solennem, ac legitimum ordinem<sup>2</sup> sanctæ oblationis. His compertis, Episcopus assumens senem seorsum ait illi: Quid ita facis, senex? An ignoras sanctæ Ecclesiæ statuta. Ait senex: Vera profecto prosequeris, & recte dicis. Verum quid agam, ignoro. Die enim Dominico post nocturnos hymnos, prope sanctum altare sedeo, & quousque videam<sup>3</sup> Spiritum sanctum altare obumbrantem, sancta Missarum solennia non incipio. Cum autem aduenisse Spiritum sanctum aspicio, tunc ego sacra officia consummo. His auditis, Episcopus admiratus virtutem senis, convocat habitatores villæ, satisfaciensque illis, dimisit eos in pace.

**H**V. C. seni misit Abbas Iulianus Stylites salutationem, mittens ei etiã pannum involutum, habentem intus tres<sup>4</sup> carbones ignis. Senex vero suscipiens salutationem, & carbonem ardentem, remisit eidem Abbati ipsum pannum involutum aqua plenum. Distabant autem ab invicem fere viginti milibus passuum.

<sup>1</sup> Senex summi apud Deum meriti.

<sup>2</sup> Vide Missam vocari sanctam oblationem.

<sup>3</sup> Ecce quomodo & hic est dicitur Spiritus sanctus olim visibiliter apparuisse, circa Missarum celebrationem.

<sup>4</sup> Aduerte quod sancti viri etiam irrationalibus creaturis dominantur.

*Factum mirabile Abbatis Iuliani Stylita.*

C A P V T. XXVIII.

**N**arrabat Abbas Cyriacus discipulus predicti Abbatis Iuliani Stylita, dicens: Venimus ego, & pater